

Eandem rem fine libri De mundo amplissime confirmat, ubi Dei poetica nomina mystice exponit Parcarumque fabulam et Orphei carmina talia fuisse testatur. Chrysippus etiam inter Stoicos celeberrimus in hunc modum multa poetarum figmenta excepit, ut  
 5 symbolice dicerentur, referente id et approbante etiam Galeno 3. De placitis Hippocratis et Platonis.

Invaluit itaque ex his initiis et accretionibus mos apud sapientes Graecos omnes, ut, si quis eorum aliquid scribere vellet, secretiorem aliquam viam excogitaret. Sic Thales omnia fieri ex  
 10 aqua. Anaximander ex infinito, Anaximenes ex infinito et aere fieri dixerunt. Anaxagoras Chaos et homaeomerias et mentem formatricem adinvenit. Empedocles litem, amicitiam, sphaeram. Leucippus et Democritus atomos, Heraclitus ignem, Xenophanes unum, finitum vel infinitum, sphaericum. Parmenides unum  
 15 immobile eo figmento: ἵπποι τὰί με φέρουσιν<sup>xiv</sup> *Equi me ferunt*. Et Nymhpa Hypsipyle<sup>xv</sup>, quae [295] eum instruit, quae in reliquiis suorum carminum legitur. Eiusdem cum Zoroastri eloquiis sunt rationis, Pythagorea symbola et numeri et figurae mathematicae, quae elementa constituunt, eiusdem animae ex numeris ac harmoniis compositio. Ad arcana occultanda adhibitus est etiam locutionis modus carmine metaphorisque explicatus, vel si soluta oratio esset, periodi breves et concisae et obscurae, quales Heracliti (ob quas Scotinus est appellatus), Democriti, Ocelli, Timaei atque aliorum, Hippocratis quoque fuisse conspiciuntur.

25 Primus vivo adhuc Pythagora eius arcana Hipparchus revelavit eamque ob rem e schola est eiectus in eiusque locum immobilis columna erecta, quod Clemens tradit, secuti deinde sunt illum forte post obitum Pythagorae in rebus naturae aperendis: Ocellus in politicis, Metopus, Theages, reliqui. Theologiae

<sup>xiv</sup> PARM. Fragm. 1.24

<sup>xv</sup> Corr. ex Hypsopyle